«In hac collectione, ait, sive otio contemplativo, dicunt quidam mystici, quod etsi haec oratio sit naturalis, nihilominus anima cessare debet non solum a meditatione, sed etiam ab actibus voluntatis, scilicet amoris, oblationis, resignationis etc., et tantum manere debet in quadam amoris vigilantia et attentione ad Deum, absque eo quod actum aliquem faciat. Verumtamen huiusmodi incantationibus ego prorsus acquiescere non valeo. Nulli dubium, quod quando anima collectam se cernit, non debet se applicare meditationi, quia iam invenit sine ullo labore quidquid ipsa postulabat; praeterquam quod ipsa ordinaria meditatio, ut ait p. Segneri in suo aureo opusculo de *Concordia inter laborem et quietem* p. 1. C. 1. n. 1, producit post aliquod tempus contemplationem, quae dicitur *acquisita*, nempe illam, quae unico intuitu cognoscit veritates, quas ante nonnisi longo discursu et labore cogoverat. Sed his non obstantibus, nescio cur anima cessare debeat a bonis actibus voluntatis; et quodnam tempus opportunius his faciendis actibus esse poterit quam tempus, quo anima se collectam sentit» (*l. c., n. 7*).

Refutat deinde quae adversarii contra hanc doctrinam afferre possent. Animadvertit porro animam, antequam ad altiorem orationis gradum tam in via ordinaria quam in via extraordinaria gressum faciat, non solum propria

mortificatione, verum etiam *ariditate*, a Deo immissa, purgari. Cum aliis mysticae theologiae magistris hanc ariditatem distinguit in *sensibilem* et *spiritualem*. Ut pro scopo sermonem hic restringam ad *extraordinarium* sive *passivum* animae statum, S. Doctor exponit primum in quo consistat, quid secum ferat *sensibilis ariditas*, qua initio anima in eo statu purgatur. Qua exposita sapienter subiungit:

«In hoc statu director debet animam confortare ad sperandas res magnas a Deo, qui ad hunc finem ita se gerit cum ea. Insinuet ei, ne conetur se exercere in meditatione, sed ut humiliet se, faciat actus oblationis, totamque se Deo committat, perfectissime resignata dispositionibus suae voluntatis, quae tota tendit ad bonum nostrum» (l. c., n. 8).

Proponit deinde quae sit eiusdem viae *extraordinariae* sive *passivae ariditas substantialis*, et horrendos angores et molestias quas animae affert.

«Hic est, ait, ubi anima se cernit in quadam terribiliori agonia; nam, etsi tunc ipsa sit magis determinata ad se vincendum in omnibus, et magis intenta ad Deo placendum, nihilominus quo magis agnoscit suas imperfectiones, eo magis sibi videtur a Deo expulsa, atque derelicta, tanquam ingrata beneficiis acceptis, imo et ipsa spiritualia exercitia, quae peragit, ut sunt orationes, communiones, mortificationes eam magis contristant; nam cum ea omnia non sine magno taedio et poena perficiat, credit omnia digna suppliciis et se Deo odibiliorem. Quin multoties animae istae videntur sibi summopere odisse Deum, quam ob causam Deus eas iam reprobaverit, tanquam sibi inimicas; et adhuc in vita faciat illis experiri damnatorum poenas et divinam derelictionem. Et aliquando Deus permittit, ut huiusmodi desolationes comitentur mille aliae tentationes, ut motus impuritatis, iracundiae, blasphemiae, incredulitatis, et praesertim desperationis: ita ut miserae in magna illa obscuritate et confusione non valentes discernere resistentiam voluntatis (quae revera tunc adhuc adest, sed ipsis est occulta, aut saltem dubia, ratione praesentium tenebrarum), timeant iam consensisse, et ideo tanto magis existimant se derelictas a Deo» (l. c., n. 9).

Tum S. Doctor instruit denuo spiritualem directorem animae, hunc in modum tentatae, quomodo scilicet eam erigere magna in Deum fiducia, et in oratione dirigere debeat:

«Hortetur, inquit, ut forti animo sit et viriliter exspectet res magnas a Deo, dum eam per tutiorem viam deducit, scilicet per viam crucis. Moneat etiam ut primo humiliet se utpote dignam ita a Deo tractari ob anteactae vitae defectus: secundo, ut divinae voluntati se totam resignet, paratissimam se praebendo ad ea omnia perferenda,

imo et maiora pro omni tempore, quo Deo placuerit; tertio proiciat se tanquam mortuam in brachia divinae misericordiae, et committat protectioni Mariae SS., quae mater misericordiae et afflictorum consolatrix iure appellatur» (l. c., n. 10).

Hisce itaque purgationibus secundum S. Doctorem anima a Deo disponitur et praeparatur ad altiores orationis gradus. Purgatae *ariditate sensibili* Dominus concedere solet donum *orationis infusae* sive *contemplationis passivae*.

Primus gradus huius orationis *supernaturalis*, sive *infusae*, est *recollectio supernaturalis* seu infusa, quae tunc proprie habetur, ait, quando collectio potentiarum non evenit opera ipsius animae (sicut in recollectione naturali sive simplici contemplatione viae activae), sed beneficio lucis, quam Deus infundit et per quam excitatur in anima magnus et sensibilis amor divinus. In hoc statu non est cogenda anima ad suspendendum tranquillum eum discursum, quem forte ei lux ipsa suaviter insinuaret: quemadmodum nec debet incumbere considerationi rerum particularium, aut determinationibus, quas valet efficere. Nec debet curiosius investigare quidnam sit interior ea spiritus recollectio: sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit (l. c., n. 13).

Secundus gradus est *oratio quietis*. Exponit in quo consistat, quibus differat a recollectione passiva, docetque, doctrinam sequens S. Theresiae, quaenam potentiae a suis operationibus suspendantur. Demum monet:

«In hoc statu multo minus quam in recollectione anima debet se applicare ad faciendas determinationes, aut alios actus ex seipsa emendicatos; eos tantummodo faciat, ad quos se sentit a Deo suaviter impelli» (l. c., n. 14).

Tertius gradus demum est *oratio mysticae unionis*. Eam describit et post multa cum S. Theresia animadvertit, illam ita fieri ut anima de Dei ipsius unione iam dubitare nequeat. Illico tamen prudentissimus Doctor subiungit:

«Hoc tamen non obstante debet eam confessarius monere, non ideo evasisse impeccabilem, et propterea quod magis se videt a Deo huiusmodi gratis donatam, eo magis esse debet humilior et ab omnibus alienata, unice diligendo crucem et vivendo in totum divinis dispositionibus uniformata, cum assiduo timore quod suae infidelitates ex eo tempore acerbius punientur, ob maiorem qua committentur ingratitude. Inquit S. Theresia sibi cognitae plures animas, quae, cum antea ad hunc statum unionis ascendissent, postea in peccata mortalia praecipites ceciderunt» (l. c., n. 16).

Unionis mysticae tres gradus consuetos distinguit:

«Tres dantur, inquit, species unionis, et sunt: *unio simplex*, *unio desponsationis*, et *unio consummata*, quae vocatur *unio matrimonii spiritualis*» (l. c., n. 17). Exponit deinde ea quae cuiusque status unionis propria, quaeque directori spirituali scitu necessaria sunt. De ultima, unione scil. spiritualis matrimonii, haec inter alia animadvertit: «Haec unio non est transitoria, ut duae priores, sed permanens, ita ut anima fruatur habitualiter divina praesentia iam sibi coniuncta, et fruatur in pace stabili: nam passiones nihil amplius eam perturbant: illas quidem anima cernit dum faciem suam ostendunt, sed non tristatur, nec ullam patitur molestiam ab illis, ad instar eius qui forte habitans super nubes cerneret tempestates inferius eventientes, et ipse non tangeretur ab illis» (l. c., n. 18).

Accurate confessarium instruit de effectibus extraordinariis, donis supernaturalibus et communicationibus divinis (exstasibus, visionibus, locutionibus, revelationibus), quae in hac via passiva occurrere solent, et vere consummatae prudentiae consilia ei dat ad spiritus discernendos animasque tuta via ad perfectionem ducendas. (l. c., n. 15, 19-25).

II.

Exposita summatim doctrina S. Doctoris de mentali oratione tam viae ordinariae quam extraordinariae, unicuique iam perspicuum erit quantopere distet a falsi mysticismi placitis; non alia quippe est S. Alphonsi doctrina quam optimorum mysticae theologiae doctorum. Quod ut plenissime perspiciatur et S. Auctoris mens tota cognoscatur, sequentia, adhuc notare iuvat capita:

I. Sexcenties S. Doctor in suis operibus loquitur de *meditatione ordinaria*. Multus est in huius morali necessitate probanda, utilitate commendanda, facilitate exponenda. Nactus vel minimam occasionem meditationis exercitium commendat. In operibus eius *viginti* minimum mihi cogniti sunt loci, ubi non per transennam sed ex instituto hanc materiam plus minusve tractat.

E contrario de *contemplatione passiva* semel tantum verba facit, neque de ea loquitur ad omnes, sed solummodo ad spirituales animarum moderatores, quos instruere intendit, ut rite dirigant animas, quae fortasse a Deo per hanc viam ad perfectionem vocantur.

II. *Meditationis* exercitium *omnibus* omnino utilissimum habet ac moraliter necessarium ad peccatum evitandum. Hinc monitum eius ad confessarios:

«Oratio mentalis insinuanda est non tantum timoratis, sed etiam peccatoribus, qui saepe ob defectum considerationis redeunt ad vomitum» (l. c., n. 4).

Et alterum illud:

«Qui adire (ecclesiam ad meditandum) aut ibi commorari non possunt, in quolibet loco, domi, villa, etiam deambulando, etiam laborando, mente ad Deum elevata, orationi vacare possunt; quot ricolae, cum alio modo non possint, orationem laborando et in itinere faciunt! Qui Deum quaerit, ubique et omni tempore eum inveniet» (*App. IV, § 3*).

Contemplatio vero passiva non ad omnes spectat sed ad illas tantum animas «*quae, inquit S. Doctor, a Deo hac gratia donantur*». – «*Recollectio supernaturalis, ita de primo gradu orationis passivae loquitur, est illa, quam operatur Deus ministerio cuiusdam gratiae extraordinariae, et per quam Deus collocat animam in statu passivo*» (*App. I, n. 13*). Hinc etiam cum Sancta Theresia concludit:

«*Paucissimae sunt animae illae, quae diriguntur a Deo per vias supernaturales; et nos in coelo permultas aspiciemus, quae sine huiusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quae gratias istas receperunt. Unio activa est perfecta uniformitas divinae voluntati, in qua certe consistit tota perfectio divini amoris.... Haec unio est necessaria, non vero unio passiva*» (*l. c., n. 16*).

III. Hinc quoque alumnis sui Instituti SS. Redemptoris constituit, ut ter die *meditationem* instituerent et quidem potissimum de veritatibus, ut dicitur, aeternis, – de virtutibus religiosis – de passione Domini. Innumeris epistolis et exhortationibus verba ad eos fecit de meditatione, nullibi ne verbum quidem de contemplatione, satis sine dubio existimans, spiritus moderatores hac de re suo officio esse bene eruditos.

IV. Reprobat omnino statum illum quietis et hebetis expectationis operationis divinae, quam adeo extollunt erronei mysticismi sectatores. Huc faciunt quae supra, cum de contemplatione activa sermo erat, notata iam sunt. Huc pariter spectat sequens S. Auctoris animadversio:

«*Recte, inquit, concludit idem P. Segneri, quod quando Deus loquitur et operatur, oportet ut anima taceat, et cesset a suis operationibus, nihil aliud ponendo ex parte sua circa principium, quam attentionem quamdam amoris ad divinas operationes; sed quando Deus non loquitur, necesse est, ut anima se adiuvet eo modo quo potest ad coniungendum se Deo, scil. meditationibus (quando hae sunt necessariae), affectibus, precibus et determinationibus, dummodo actus illi non eliciantur inviti: unde illi tantummodo sunt faciendi, quibus se anima sensit suaviter inclinatum*» (*l. c., n. 7*).

Hinc etiam sequens monitum pro ariditatis et desolationis statu:

«Summa, inquit, haec est, quod si ob spiritus desolationem, in qua forte anima reperiretur, aliud efficere non potest, sibi satis erit Davidis petitionem repetere: *Deus in adiutorium etc.*» (*Append. IV, § 3*).

V. Praecipit quoque confessario, cui anima dirigenda occurrit, in via passiva constituta et gratis externis visionum, locutionum, revelationum donata, quae valde deceptionibus obnoxiae sunt:

«Det ei consilium, ut oret Deum, ut veram concedat extasim, scil. totalem a rebus terrenis et a semetipsa alienationem, sine qua ad perfectionem numquam valebit pervenire». Et post varia utilissima ac prudentissima consilia, ad discretionem spirituum spectantia, concludit: «Denique director etsi iudicaret reddendam esse animam certiolem, quod suae communicationes sint a Deo, tamen ei insinuet, ut in oratione semper prae oculis habeat, vel saltem in principio, punctum aliquod vitae vel passionis Iesu Christi etc.» (*Append. I, n. 24*).

VI. Ex instituto quoque Molinosii aliorumque falsi mysticismi doctrinam refert et impugnat. Cfr. *Op. Mor.: Praxis Confess., cap. VII, § 7* – *Opere dogmatiche: Storia delle eresie, cap. 12, art. 5* – *Confut., cap. XIV*.

VII. Quamdiu confessarius certo discernere non potest utrum communicationes extraordinariae a Deo sint necne,

«omnino non expedit, inquit, indubitanter asserere visiones illas esse vel diabolicas, vel phantasias, quemadmodum solent quidam nimis increduli ad differentiam aliorum qui nimis creduli omnes habent ut veras; sed dicat penitenti, ut oret Deum quod non amplius ducatur per vias adeo periculosas, protestando quod, quamdiu vivet in terris, velit Deum cognoscere solum per viam fidei. Caeterum insinuet ut ex visionibus habitis, vel falsis vel veris, illum percipiat fructum, qui magis est necessarius et praecipue se recte cum Deo gerendi; ita enim agendo, quamquam visiones fuerint a daemone, daemon remanebit elusus» (*Append. I, n. 20*).

Et in fine *n. 23* postquam dixit communicationes supernaturales, quae Deo coniungunt, etiam expeti humiliter et desiderari posse, statim prudentissimus Doctor subiungit:

«Hoc nihilominus intelligitur pro illis animabus, quae iam donantur similibus favoribus; quoniam pro aliis tutior via est desiderare et expetere tantummodo unionem activam, quae, ut diximus, est unio voluntatis nostrae cum divina voluntate».

Iam tota S. Alphonsi doctrina de interiori animae vita hisce sententiis enuntiari potest: Meditatio ordinaria omnibus utilis est, imo moraliter necessaria.

Haec tota consistit in consideratione intellectus et actibus voluntatis. Consideratio praecedere debet, sed tantum ut accendatur voluntas, in cuius

affectibus, postulationibus, bonis propositis praecipua orationis pars consistit.

Haec meditatio, quae paulatim usque ad contemplationem activam ascendit, ad veram perfectionem ducit, et est via per quam communiter animae gradiuntur.

Paucissimi per viam extraordinariam ad perfectionem a Deo ducuntur.

Haec via passiva nequaquam despicienda est, sed ut rarum Dei donum aestimanda.

Attamen plena est periculis et multis illusionibus obnoxia.

III.

His praemissis et cognita S. Doctoris mente, afferendi sunt loci, quos in variis operibus suis ex Petruccio card. deprompsit.

In operibus *moralibus* aliquoties eum allegat; in *dogmaticis* vero et in innumeris *epistolis* numquam; in *asceticis* hic illic dicta quaedam excerptit.

I. [OPERA MORALIA]

1) Quod ad *opera moralia* attinet, agens de *contemplatione negativa* dicta *clara caligine* dicit:

«Scribit CARD. PETRUCCIUS in doctis suis epistolis, hanc orationem propterea vocari orationem *caliginis*, quia in hac vita anima non est capax clare intelligendi Divinitatem, unde in hoc statu intelligit non intelligendo; sed intelligit longe melius omni alio modo intelligendi. Non intelligit, quia, cum Deus non sit res, quae formet imaginem aut figuram, intellectus nequit de eo ideam efformare; et ideo nihil aliud intelligit, quam quod illum non valet intelligere, quapropter huiusmodi intelligentia vocatur ab Areopagita, *sublimis cognitio Dei per ignorantiam*» (Append. I., n. 15)⁴⁵.

2) Ubi loquitur de vera animae perfectione, quam in conformitate cum divina voluntate reponit, docet eam in *via activa* perfecte haberi posse. Ad quod quidem probandum post alios testes etiam card. Petruccium commemorat:

«CARD. PETRUCCIUS inquit quod absque contemplatione infusa recte quidem potest anima beneficio gratiae ordinariae pervenire ad annihilationem (perfectam abnegationem) propriae voluntatis, et ad

⁴⁵ «Locus Petruccii, quem intendit S. Auctor, est fortasse *Lettere e Trattati p. 1. lib. 2. tr. 4. p. 3. cap. 4*: "Havendo noi l'intelletto dependente dalla fantasia, ch'è potenza corporea, ed essendo le sostanze spirituali tanto pure; noi per la loro purità non possiamo intenderle. Or che diremo della soprapurissima, e soprasostantialissima Divinità? Ecco dunque perché Dio N. S. si chiami a noi *inescogitabile* ed inintelligibile: ed ecco perché il grand'Areopagita chiami questa sapienza una sublimissima cognitione di Dio nota per ignoranza"».

eam transformandam in Deum, nihil aliud volendo quam voluntatem Dei. Et quamvis sentiat passionum motus tamen hi non impediunt illi praefatam transformationem; unde subdit quod, cum in hoc posita sit tota sanctitas, unusquisque nihil aliud debet desiderare et petere a Deo, quam ut dirigatur ab ipso, et in ipso suam efficiat voluntatem» (l. c., n. 16)⁴⁶.

3) Exponens cum vitae spiritualis magistris varias *visionis* species, *eternas, imaginarias, intellectuales*, iterum card. Petruccii mentionem facit:

«Advertendum tamen hic est, ait, quod visiones istas tam Deus quam diabolus potest operari, quod est intelligendum etiam de intellectualibus, ut videtur innuere S. Ioan. a Cruce (*Salita l. 2. c. 23*) contra id quod sentit CARD. PETRUCCIUS; quamvis multo facilius corporales, quae ut plurimum et praecipue in foeminis ab ipsa phantasia efformantur» (l. c., n. 20).

4) In opere morali, cui titulus *Homo Apostolicus, tr. ult., cap. unic., punct. IX, n. 5*, agit S. Doctor de modo agendi cum infestatis a daemone. Ibi haec leguntur:

«Quidam hos daemones incubos vel succubos dari negarunt; sed communiter id affirmant auctores ut Martinus Delrio in opere *Disquis. magic.*; p. Hieron. Menghi, *l. 2, c. 15*; CARD. PETRUCCI, *Ep., p. 2., l. 2; Opusc. 5., n 5*; et Sixtus Senensis, *l. 5, Bibl. sacr., annot. 77*; ex S. Cypr., S. Iustin., Tertul. etc.».

Post multa Doctorum testimonia prosequitur:

«Hic autem fit dubium, an possit daemon, permittente Deo, absque hominis culpa, manus illius admovere ad se tactibus polluendum. Affirmat p. Gravina dominicanus et quidem probabiliter; si enim etc.».

Et exposita ratione, subiungit:

⁴⁶ «En ipsius Petrucci verba: "Per fine di questo Trattato debbo notare, ch'a questo stato d'annichilazione di volontà in Dio, descritto nel terzo e quarto numero può giungersi con l'aiuto anche della gratia ordinaria di Dio, e con la luce ordinaria della fede da ogn'anima buona, che sia ben distaccata dalle creature e da sé stessa, benché non habbia la contemplatione infusa. Io posso con tal gratia voler credere il tutto di Dio, e'l niente delle creature senza Dio. E posso non voler altro che Dio, e'l non mai me, né altra creatura, fuorché in ordine a lui. Posso non volere ogni peccato avvertito: e non volere altro piacere ò dispiacere, che di ciò piace ò dispiace a Dio: benché nelle passioni, e nella parte sensibile io senta i moti diversi. Posso star sopra tutte le cose create per la confidenza nel mio Dio.... Eccovi dunque la strada come in compendio. Si aspiri da ogni cristiano a gran santità poichè grande è'l fondamento, c'habbiamo in Gesù crocifisso per noi, e grande è la gloria ch'a Dio ne viene" (l. c., cap. 6)».

«Idem sentit CARD. PETRUCCI, l. c., n. 8, ubi sic inquit: Non semel compertum fuisse, quod daemon aliquam partem in humano corpore coeperit quodammodo possidere, puta oculos, linguam, vel etiam verenda... Hinc fit, linguam obscoenissima verba proferre, licet mens talia tunc non advertat. Hinc impetus et affectus quandoque se turpiter denudandi proveniunt. Hinc foediora, quae me conscribere pudet. Sed maxime praedicta confirmantur a S. Thoma, 1. 2., q. 8^o, art. 3, in corpore, qui sic ait: Respondeo dicendum quod diabolus propria virtute, nisi refraenetur a Deo potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est, non autem potest inducere necessitatem peccandi; quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non resistit nisi per rationem, cuius usum totaliter impedire potest movendo imaginationem, et appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet. Sed tunc, ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum. Sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte qua est libera, potest resistere peccato, sicut supra dictum est. Unde manifestum est quod diabolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum» etc. (idem ad verbum repetit S. Doctor in *Praxi Confess.*, cap. VII, § 7, n. 111 et 112).

5) Transiens dein ad modum agendi cum illis infestatis scribit *ibid.*, n. 52:

«Debet confessarius multum satagere ad praemuniendum poenitentem in tam horrendo conflictu; nam, ait doctus CARD. PETRUCCIUS, has animas in magno periculo versari si remedia non adhibeant multum efficacia, et aliquando, si oportet, etiam extraordinaria; cum enim ad resistendum requiratur ingens subsidium ex parte Dei et magna violentia ex parte patientis, difficulter ab huiusmodi pugnis victor egredietur, qui perseveranter non adiiciet magnam mortificationem, et supra omnia validam orationem, centies et millies se commendando, gemendo et misericordiam petendo ad crucifixi et Deiparae pedes lugendo, exclamando et misericordiam petendo. Alioquin si anima tepescit et deficit in orando, aut se mortificando, dicit PETRUCCIUS, quod ipsa in magno erit periculo ruendi saltem indirecte in aliquam occultam illarum turpium delectationum complacentiam»⁴⁷ (in *Praxi Conf.*, n. 112, l. c., idem recurrit).

⁴⁷ «Ipsius Petruccii locos, unde haec sumpta sunt, subnectere iuvat. In libro *Ep.*, p. 2, l. 2; *Opusc.* 5, cap. 12, n. 1, legitur: "Tam vehementer (spiritus fornicationis) internas externasque corporis vires et membra, humoresque commovet et conturbat, totamque hominis mentem sic obnubilare videtur, omnesque eius affectus tanta vi in scelus conatur attrahere, ut nisi magna adsit Dei gratia, suppetias ferens, et nisi homo extraordinariis etiam quandoque utatur remediis, vim vi maiori repellendo, vix hoc certamen sine jactura possit sustinere, ruinamque evitare innocentiae". Et cap. 10 n. 9: "Durent, durent (animae hoc spiritu vexatae), immotaeque integris horis, iteratisque ante Iesu crucifixi, ante Reginae Coelorum pedes orent, lacrymentur, suspiria fundant,

Alii loci in operibus Moralibus, quantum scio, non habentur.

II. [OPERA ASCETICA]

6) *In operibus asceticis*. Primus locus occurrit in opere inscripto *Via della Salute ubi, parte II, Riflessioni, § 35: Solo in Dio si trova la vera pace*, legitur: «Ecco come describe un'anima data tutta a Dio il celebre CARDINAL PETRUCCI:

"Vede cangiarsi in variate forme
Fuori di sé le creature, e dentro
Il suo più cupo centro
Sempre unita al suo Dio vive uniforme"».

7) *Ibidem, § 41: Del distacco dalle creature*: «Udiamo, inquit, il CARDINAL PETRUCCI, come con pochi versi ben describe la pazzia degli amanti del mondo e la felicità degli amanti di Dio:

"Questo mondo volubile e cadente
È scena di rovine:
I suoi vezzi più cari, i suoi contenti
Han sembianza di gioie e son tormenti
Ma se Gesù seguite, i suoi tormenti
Han sembianza di pene e son contenti" ».

8) In opere *Riflessioni sulla passione di G. C., Cap. III: Rifl. sulla flagellazione etc., n. 12*: «Graziosamente cantò il PETRUCCI:

"Ma se soffri per noi si reo flagello
Signor, tu sembri agli obbligati cuori
Quanto deforme più, tanto più bello"».

9) In opere *Pratica di amar Gesù Cristo, Cap. VI: Chi ama G. C. ama la dolcezza, n. 8*: «L'anima amante di Dio conserva sempre la pace nel cuore e la dimostra anche nel volto comparando sempre eguale a sé stessa negli eventi, così prosperi, come avversi, come cantò il CARDINAL PETRUCCI: "Mira cangiarsi in variate forme"» etc. (vide *supra*, n. 6).

10) In opere *La vera Sposa di Gesù Cristo, cap. XIV: Della rassegnazione nella volontà di Dio, § 1: Quanto vale il rassegnarsi etc., n. 6*: «I santi, inquit, anche in mezzo alle persecuzioni più dure, ai tormenti più dolorosi, non sanno che cosa sia mestizia, e perché? perché stanno uniti alla divina volontà: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*. Quindi saggiamente cantò il CARDINAL PETRUCCI: "Questo mondo volubile e cadente"» etc. (vide n. 7).

opemque enixissime postulent. Durent, durent orantes: oratio enim lacrymosa, humilis et perseverans Coelum pandit, daemonesque profligat. Quod si despondeat animum, et pia negligere exercitia et in via virtutum tepescere incipiant, in aliquem secretum assensum saltem indirectum eas ruituras esse valde timendum est"».

11) *Ibidem*, § 2, n. 6:

«Ciò che Dio vuole da tutti noi, che teniamo sempre la nostra volontà unita alla sua. Alcune religiose leggendo libri di mistica s'invaniscono dell'unione supranaturale, chiamata *passiva*: Ma io vorrei che desiderassero l'unione *attiva*, ch'è la perfetta uniformità alla volontà di Dio, dove consiste (dice S. Teresa) la vera unione dell'anima con Dio. Quelle persone, soggiunge la Santa, che hanno la sola unione attiva potrà essere che abbiano molto più merito, perché ciò è con loro travaglio, e il signore le conduce come forti; e tutto quel che non godono qui lo serba per darlo poi loro tutto insieme colà in cielo. Dice similmente il CARDINAL PETRUCCI che senza la contemplazione infusa ben può giungere un'anima colla sola grazia ordinaria ad annichilare la propria volontà e trasformarla in quella di Dio; onde conclude che non dobbiamo altro noi bramare e chiedere a Dio, se non ch'egli faccia in noi la sua volontà, dove tutta la santità consiste. Questo è quel morire a noi stessi, cioè il rinunciare a tutte le soddisfazioni e desideri, per far vivere in noi solamente la divina volontà» (cfr. *supra*, n. 2).

12) *Ibidem*, cap. XVI: *Del silenzio, della solitudine e della presenza di Dio*, § 2: *Dell'amore alla solitudine della fuga dell'ozio*, n. 6: «Ivi (nella solitudine) si troverà sempre la gioia e l'allegrezza, e non vi si udiranno che ringraziamenti e lodi alla divina bontà. Quindi cantò il CARDINAL PETRUCCI, lodando un cuore solitario:

"Mesto rassembra, e d'alta gioia è pieno.
Calca la terra, e pur in ciel dimora.
Null'a sé stesso implora,
Perché immenso tresor chiude nel seno.
Pare agitato e assorto
Fra le tempeste, e pur a seco il porto"».

13) *Ibidem*, n. 12: «L'anima solitaria, cioè distaccata... si troverà sollevata sovra di sé e sovra le cose create, talmente che si riderà de' mondani che tanto stimano e stentano per i beni di questa terra, stimandoli ella troppo piccoli ed indegni dell'amore di un cuore creato per amare un immenso bene ch'è Dio. Onde cantò il PETRUCCI parlando appunto d'un cuore dedicato al divino amore:

"Che di quanto si spande
Nel teatro del mondo egli è più grande"».

CONCLUSIO

En omnia, quae S. Doctor Alphonsus e Petruccio cardinali deprompsit, neque per longum et improbum laborem alia invenire potui.

Nullibi autem, quantum scio, S. Doctor ex sententiis vel doctrina Petruccii argumentum instituit vel illationes haurit, quod sane, perspecta paululum spirituali Alphonsi doctrina de mentali oratione necnon de animae purgatione tam in via activa quam passiva, inexpectatum non erit.

Quod autem Sanctus Doctor subinde Petruccium cardinalem commemorat, nemo profecto ipsi vitio dabit vel sibi offensioni. Ut notum est, S. Alphonso familiarissimum erat aliorum auctoritatem invocare, usurpare dicta. Vere dici potest, eum, ut apem argumentosam undique mel veritatis ac pietatis congregasse; quare etiam dubiae fidei virorum imo vel ipsorum haereticorum, ubi res fert, auctoritatem adhibere vel dicta proferre non est veritus.

Atque haec omnia sincera fide me exposuisse declaro, sicut comperi veritatem habere.

Romae, die 29 Sept. 1896, festo S. Mich. Arch.

W. M. VAN ROSSUM C. SS. R.

II.

DE EMENDATIONE OPERUM S. ALPHONSI
PROPTER ALLEGATAM CARD. PETRUCCI DAMNATAM DOCTRINAM

Relatio et Votum

G. M. van Rossum C. SS. R.

CONSULTORIS*

[30 V 1900]

E.mi ac R.mi Patres,

Annis 1890 et 1892 coram hoc sacro tribunali S. Officii tractata est causa de *falso mysticismo* S. Iacobi de Chile.

A non paucis scilicet in illa regione doctrina defendebatur, *Déum in praesenti providentia permittere daemonibus, ut nonnullis personis et animabus sanctis violentiam inferant, easque ad actiones intrinsece malas inducant, ut ita passive sensibus purgentur et ad transformationem cum Deo disponantur.* – Quae doctrina passim in praxim deducta perniciosissimam causabat pestem in ruinam animarum.

Causa tractata fuit cum duobus votis R.mi (nunc E.mi Card.) Vives, qui clarissime ostendebat, doctrinam illam falsam esse et praedamnatam in Molinos et Card. Petruccio, et violentias illas (imprimis pollutiones proprii manibus in se ipso provocatas) admitti non posse sine culpa nisi in statu omnimodae abreptionis et totalis mentis offuscationis, quod sane rarissime occurret.

Re examinata, decretis fer. IV, 22 Aprilis 1891 et fer. IV, 22 Iunii 1892, falsae assertiones proscriptae sunt et turbae sedatae.

Atvero fautores perniciosi huius erroris i[n]ter alios etiam S. Alphonsus de Liguorio appellaverant, quasi et ipse eorum assertis patrocinaretur. Et revera repertum est, S. Doctorem in suis de Theologia Morali operibus, praesertim ubi de modo agendi cum infestatis a daemone succincte agit, subinde Card. Petruccium citare. Nominatim impactum est in locum quemdam, qui ipsam damnatam propositionem 36 Card. Petri Matthei Petruccii referebat.

Veriti inde ne locus iste aliquando offenculo esse posset, et suspicati ne et alibi fortasse S. Alphonsus spinosos Card. Petruccii locos bona fide referret, R.mi et E.mi DD. decreto feriae IV, diei 21 Iunii 1892 mentem adiunxerunt: «*La mente è che si riassumano le proposizioni condannate del*

* SUPREMA SACRA CONGREGATIO SANCTI OFFICII, *De emendatione operum S. Alphonsi M. de Liguorio propter allegatam Card. Petrucci damnatam doctrinam. Relatio et votum G. M. van Rossum C.S.S.R. Consultoris*, [Romae] iunii 1900, in ACDF, Rerum Variarum, 1900, n° 8 rubricellato, fasc. 1 (giugno 1900).

Card. Petrucci e i relativi studi, le varie opere di S. Alfonso, comprese le ascetiche, in cui quelle si allegano, et iterum proponatur, rilevando le corrispondenti dottrine del santo Dottore».

Huic tamen decreto, a SSmo approbato, propter varias rationes et circumstantias satisfieri statim non potuit. Ne autem in oblivione iaceret fer. IV, die 5 Augusti 1896 E.mi decreverunt: «Committatur recensio duobus Patribus Congregationis SS. Redemptoris, qui incumbunt novae editioni operum S. Alphonsi de Liguorio, praestito per utrumque iuramento in Sancto Officio».

Labor iste mihi nondum consultori demandatus est eumque debita sedulitate absolvi. Ast iterum plura impedire, quominus causae exitus expediretur. Tandem, R.mo Patre Vives ad sacrum Cardinalatum assumpto, Congr[egatio] part[icularis] negotium mihi committere dignata est.

Claritatis causa totum antea actum laborem, recensentem videlicet doctrinam asceticam et mysticam S. Doctoris Alphonsi, necnon locos omnes, in quibus Card. Petruccium allegat, ad Summarium remitto.

Ex illo liquet unicum tantum locum inveniri in operibus S. Doctoris, qui difficultatem habeat, et ad falsum mysticismum proclivis ansam aliquam et praetextum praebere posset, illum ipsum scilicet, in quem occasione causae Chileensis impactum est. Caetera, ni fallor, nullam umbram proicere possunt.

Superfluum erit notare, S. Doctorem omnino nescivisse opera Card. Petruccii esse in Indicem relegata, eiusque doctrinam a S. Congregatione S. Off. proscriptam⁴⁸. Si hoc scivisset certo certius non eo modo Card. Petruccium laudasset.

Itaque ante omnia de re erit locum accusatum S. Doctoris integrum referre. Invenitur in opere *Homo Apost.*, *Tract. ult.*, num. 51; et iisdem verbis in *Praxi Confess.*, cap. VII, § 7, num. 112:

«Hic autem fit dubium, an possit daemon, permittente Deo, absque hominis culpa, manus illius admovere ad se tactibus polluendum?

«Affirmat p. Gravina Dominicanus, et quidem probabiliter; si enim valet daemon corpus alicuius totum movere, ut narratur de Simone Mago, ope daemonis in aërem sublato; cur non poterit et manum? Praeterea, si daemon potest alicuius commovere linguam, ut invitus proferat obscoena verba, aut blasphemias contra Deum, quidni

⁴⁸ «Error ille sat facile occurrit, nam "in Indice librorum prohibitorum, ita Em. Card. Vives (vot. 1892, pag. 5), agitur tantum de libris Petrucci Pier Matteo, ac proinde ex defectu tituli seu officii auctoris, ne suspicio quidem haberi solet, quod scilicet iste Petrucci sit Cardinalis Petrucci a S. Alphonso citatus". Quod autem praeter quatuordecim operum relationem in Indicem (Decreto Innoc. XI, fer. V, diei 5 Febr. 1688), etiam 54 propositiones ex operibus Card. Petruccii excerptae, a S. Congreg. S. Off. censuratae et solemniter ab ipso Card. Petruccio retractatae sunt, semper, ni fallor, altum S. Officii secretum mansit».

manus, ut turpia patrentur? Idem sentit Cardin. Petrucci l. c. n. 8. ubi sic inquit: *Non semel compertum fuisse, quod daemon aliquam partem in humano corpore coeperit quodammodo possidere, puta oculos, linguam, vel etiam verenda. Hinc fit linguam obscoenissima verba proferre, licet mens talia tunc non advertat. Hinc impetus et affectus quandoque se turpiter denudandi proveniunt. Hinc foediora, quae me conscribere pudet*⁴⁹. Sed maxime praedicta confirmantur a S. Thoma 1. 2, quaest. 80, art. 3, in corp., qui sic ait: *Respondeo dicendum quod diabolus propria virtute, nisi refraenetur a Deo potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est, non autem potest inducere necessitatem peccandi; quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non resistit nisi per rationem; cuius usum totaliter impedire potest movendo imaginationem et appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet. Sed tunc, ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum. Sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte qua est libera, potest resistere peccato, sicut supra dictum est. Unde manifestum est quod diabolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum. Iuxta igitur S. Thomam*

⁴⁹ «Hunc ipsum locum Card. Petrucci S. Congr[egatio] S. Off[icii] anno 1688 [recte: "1687"] carpsit et est propositio 36 inter damnatas et a dicto Cardinale retractatas. "Si quando, ita sonat prop[ositio], (quod accidere non semel compertum est) daemon in humano corpore aliquam partem coeperit quodammodo possidere, puta oculos, linguam et etiam verenda membra, tunc mirum est quod tales patiantur animae. Illic daemon regnare et partem illam possessam membrum diceret esse diabolicum, rationis penitus detrectat imperio. Hinc fit linguam obscoenissima et lupanaribus digna verba proferre, licet talia tunc mens non advertat; hinc impetus et affectus quandoque turpiter se denudandi proveniunt, hinc foediora, quae me pudet scribere". Haec propositio in actis S. Officii hunc in modum notata legitur: "P. Perez dixit quod ut iacet est male sonans, et quodammodo periculosa et pernicioosa in praxi. Caeteri omnes convenerunt quod continet propositionem 36 Molinos et subiacet iisdem censuris". Propositio autem 36 Molinos, quae iuxta ordinem constitutionis Innocentii XI Coelestis Pastor 20 Nov. 1688 [recte: "1687"], est 41, sic sonat: "Deus permittit et vult, ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, daemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus". Haec propositio primum a R. mis DD. Qualificatoribus censurata fuit, deinde in Congregatione "convenerunt omnes, ut legitur in actis, quod sit temeraria, scandalosa, perniciosissima in praxi, totius christianae disciplinae relaxativa; Religionem Catholicam - in summum discrimen adducens, et abominabilem reddens - apud omnes sectas et nationes; blasphema contra Providentiam et Bonitatem et Sanctitatem Dei; erronea, haeresi proxima, unde meretur damnari ut haeretica". Et in Congregatione die 17 Iulii 1687 habita coram SS.mo: "Configitur omnibus notis et declaranda absolute haeretica"».

bene potest daemon (permittente Deo) omnem libertatem ad resistendum homini auferre, sicut aufert obsessis, eumque inducere ad faciendum actum de se peccaminosum sine hominis peccato formali. Insuper iuvat hic adnotare id quod super hoc puncto sapienter scribit P. Scaramelli, *Direct. Myst.*, tr. 5, cap. 11, n. 124, dicens: *Id potest peragi sine peccato formali creaturae, si scilicet daemon eo tempore quo exterius operatur, interius usum rationis totaliter impediatur, ut omnem demat libertatem ad resistendum, quod per d. Thomam fieri potest, ita vehementer movendo imaginationem et appetitum sensitivum, ut per tales perturbationes omne rationis lumen extinguatur. Hinc confessarius examinet poenitentem, an in his, quae patitur, advertat quemadmodum malitiam peccati, et an habeat aliquem stimulum retrahentem ab illa actione. Nam si dicat, durante illa tentatione, ita mentem sibi offundi, ut nihil cognoscat, nec ullum remorsum sentiat, tunc poterit censi immunis a peccato. Secus si eo tempore in ipso effulgeat aliquod lumen rationis, ita ut ratio non sit totaliter ligata, et possit resistere. Praeterea advertit praefatus auctor, monetque confessarios, ut curent quod talia patientes semper subiiciant clavibus Sacramenti huiusmodi actus, quia ipsi vix credi possunt immunes saltem a peccato veniali vel propter advertentiam imperfectam, vel propter aliquam deficientiam resistentiae, quam adhibere debebant».*

Quodsi locus ille attente consideratur, patet, S. Doctorem Alphonsum non aliam hic doctrinam proponere et tenere quam quae in D. Thomae principiis fundatur et a Scaramelli aliisque probatis auctoribus propugnatur.

Docet scilicet:

- 1) Daemon posse, permittente Deo, etiam manus hominis movere ad seipsum tactibus polluendum.
- 2) Hoc tamen a peccato alienum non esse nisi «*interius usus rationis totaliter sit impeditus*».
- 3) Hoc rarissime accidere.
- 4) Talia patientibus omnia illa clavibus Sacramenti subiicienda esse, quia vix a peccato saltem veniali immunes erunt.

In hac doctrina nihil, ni fallor, occurrit, quod a recto et orthodoxo tramite alienum sit.

Quodsi Card. Petruccius ea de re non scripsisset quasi non ita raro occurrente, et praesertim si melius in luce posuisset, hoc tantum sine peccato admitti posse in *plene arreptitiis* et *mente omnino offuscatis*, nescirem quid in eo, quod ad hoc caput attinet, carpendum fuisset⁵⁰. Sed S. Doctor Alphonsus infeliciter Card. Petruccium hic citasse videtur.

⁵⁰ «Non semel audivi ab antiquioribus Patribus nostris, ipsi S. P. N. Alphonso,

Et licet non eo sensu eum allegaverit, quo fuit a S. Congreg[atione] S. Officii censuratus et condemnatus, et licet excusari S. Doctor possit tum quod proscriptionem operum et propositionum Petruccii nescivit, tum quod in allegato Petruccii loco verba occurrunt: *licet mens talia tunc non advertat, nihilominus locus iste errori ansam praebere posset et malevolis praetextum in ruinam animarum.*

Ad quod praecavendum malum R.mi DD. Consultores fer. II die 13 Iunii 1892 votum proposuerunt «*Ad mentem. Mens est, in nova editione Operum S. Alphonsi de Ligorio tollendam esse allegationem Cardinalis Petruccii, si videbitur E.mis Patribus.*».

Attamen cum summa observantia et omnimoda meipsius diffidentia haec advertere et R.morum DD. Consultorum et imprimis Eminentiarum Vestrarum Rmarum illuminato iudicio subiicere mihi permitto. Expungere in operibus S. Alphonsi locum allegatum e Card. Petruccio medium non satis efficax ad malum praecavendum videtur. Iam exstant enim innumerabiles operum S. Alphonsi editiones et millia millium exemplaria per mundum sparsa in omnium manibus inveniuntur. Hinc qui malo animo affectus hoc S. Doctoris loco abuti vult, non retinebitur eo quod in nova editione non amplius occurret. Et etiamsi hoc ipsi obiiceretur, statim ad veterem et integram editionem provocabit. Ex hoc quidem eo meliori exitu quod proscriptio huius nominatim loci Card. Petruccii, altum, ut supra dixi, secretum est S. Officii. Insuper, deleto etiam loco Card. Petruccii, timendum remanet, ne aliis verbis S. Doctoris abutantur, eaque in sensum detorqueant a mente auctoris omnino diversum.

Itaque ad omne malum et offendiculum in posterum praecavendum, efficacius fortasse medium erit in nova editione operum S. Alphonsi in duobus hisce locis (scil. in *Homo Apost. et Prax. Confess.*) notam aliquam huius e. g. tenoris subiicere:

Advertat benevolus lector S. Alphonsum hic docere, accidere posse ut daemon, permittente Deo, hominis manus absque eius culpa moveat ad seipsum tactibus polluendum, SED SOLUMMODO IN STATU PERFEECTAE ABREPTIONIS ET TOTALIS MENTIS OFFUSCATIONIS. Si enim alio sensu verba S. Doctoris sumerentur, doctrina esset ab Ecclesia reprobata et in Molinos et Card. Petruccio damnata (Nota adiecta de mandato S. Congreg. S. Officii – vel potius: Nota adiecta ex notitiis legitime habitis actorum S. Congr. S. Officii).

Cum omnimoda reverentia et subiectione et in osculo S. Purpurae.

Ad S. Alphonsi, die 30 Maii 1900.

G. M. VAN ROSSUM C. SS. R.
CONSULTOR